Quelle: https://manuscripta.at/?ID=8340
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek



mgr

mali fecit. At illi clamabant. Crucifige eum. Pilatus
autem volens populo satisfacere. dimisit illis barrabam. et tra
didit illum flagellis cesum. ut crucifigeretur. Milites autem
duxerunt eum intro in atrium pretorij. et convocant
totam cohortem. et induunt eum purpura. et imponunt
ei plectentes spineam coronam. et cepunt salutare eum.
Ave rex iudeorum. Et percutiebant caput eius harundine
et conspuebant eum. et ponentes genua
adorabant eum. Et postquam illuserunt ei. exuerunt illam
purpuram et induerunt illum vestimentis suis. et educunt illum
ut crucifigerent eum. Et angariaverunt pretereuntem quempiam
simonem cyrenenum venientem de villa patrem alexan
dri et rufi. ut tolleret crucem eius. Et ponunt illum in gol
gatha loco. quod est interpretatum calvarie locus. Et
dabant ei bibere murratum vinum. et non accepit. Et
crucifigentes eum. diviserunt vestimenta eius mittentes
sortem super eis. quisquis tolleret. Erat autem hora tertia.
et crucifixerunt eum. Et erat titulus cause ipsius scrip
tus. rex iudeorum. Et cum eo crucifixerunt duos latrones.
unum a dextris et alium a sinistris eius. Et adimpleta est
scriptura que dicit. Et cum iniquis reputatus est. Et pre
tereuntes blasphemabant eum. moventes capita sua
et dicentes. Vah qui destruis templum. et in tribus die
bus edificas. Salvum fac te metipsum. descendens de cruce.
Similiter et summi sacerdotes ludentes ad alterutrum cum
scribis dicebant. Alios salvos fecit. se ipsum non potest
salvum facere. Ipse rex israel descendat nunc de cruce. ut vi
deamus et credamus. Et qui cum eo crucifixi erant con
vituperabantur ei. Et facta hora sexta. tenebre fuerunt